



<http://www.biodiversitylibrary.org/>

Fragmenta phytographiæ Australiæ /contulit Ferdinandus Mueller.

Melbourne :Auctoritate Gubern. Colonizæ Victoriæ, Ex Officina Joannis Ferres,1858-82.

<http://www.biodiversitylibrary.org/bibliography/287>

v.8 1872-74: <http://www.biodiversitylibrary.org/item/7225>

Page(s): Page [i], Page 169, Page 170, Page 171, Page 172, Page 173, Plate [3], Plate [4]

Contributed by: Missouri Botanical Garden, Peter H. Raven Library

Sponsored by: Missouri Botanical Garden

Generated 8 February 2013 6:42 PM

<http://www.biodiversitylibrary.org/pdf4/015868000007225>

v-8

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ,

CONTULIT

LIBER BARO FERDINANDUS DE MUELLER,

Philosophiæ et Medicinæ Doctor, Ordinis Regii Britannici Sanctorum Michaelis et Georgii Socius, Ordinis Regii Lusitanici a Sancto Jacobo et Ordinis Regii Hispanici Isabellæ Praefectus, Ordinis Regii et Grandiducalis Lucilliburgo-Batavici coronæ quercinæ subpraefectus, Ordinis Regii Suecici stellæ polaris, Ordinis Regii Bavarici Sancti Michaelis, Ordinis Regii Daniici Dannebrogici, Ordinis Imperialis Franco-Gallici Legionis Honoris, Ordinis Imperialis Austriaci Francisci Josephi, Ordinis Regii Italiani Sanctorum Mauriti et Lazari, Ordinis Regii Coronæ Italicae, Ordinis Regii Coronæ Wuerttembergicae, Ordinis Regii Coronæ Borussiae, Ordinis Grandi-Ducatus Megapolitani Venedorum, Ordinis Ducalis Gothaci Domus Ernestinae Eques, Guberni Coloniae Victoriae Phytologus, Musei Botanici Melbournensis Director, Societatis Regiæ Londinensis, Academiae Imperialis Carolino-Leopoldinae Naturæ Curiosorum nec non Societatis Imperialis Rossicae Naturæ Scrutatorum membrum, Societatis Franco-Gallicae Acclimationis, Societatis Botanicae Canadensis, Societatis Agriculturae et Acclimationis Siculae, Academiae Scientiarum Californicae, Societatis Pollichianae Palatinatus, Societatis Universalis Germanicae Moeno-Francfurtanae, Societatis Zoologicae Coloniensis, Societatis Scrutatorum Naturæ Hercynicae, Societatis Investigatorum Naturæ Hamburgensis, Societatis Acclimationum et pro Historia Naturali Borbonicae, Societatis Zoologicae Rotterdamsis, Societatis Regalis Victorianae, Societatis Medicorum Victoriae, Societatis Pharmaceuticae aequæ ac Societatis Germanorum Melbournensis, Societatis Regiæ Tasmanicae, Societatis Philosophicae sicut ejus Acclimationis Neo-Zelandicae, Societatum pro Horticultura Melbournensis, Tasmaniae et Adelaidensis, Societatis Historiæ Naturalis Hanoveranae, Societatis Pharmacopolarum Austriacae, Societatis Wuerttembergicae pro cognitione patriae, Societatis Regiæ Geographicae Italianae, Societatis Horticulturae Californicae, Societatis Ruralis Civitatis Argentinae, Societatis Geographicae Mexicanae, Instituti Novo-Zelandici, Instituti Penolensis nec non Collegii pro examinibus medicis in Universitate Melbournensi membrum honorarium, Societatis Anthropologicae Londinensis Secretarius localis, Societatis Linneanae Londinensis, Societatis Regiæ Geographicae Londinensis, Societatis Zoologicae Londinensis, Musei Historiæ Naturalis Parisiensis, Instituti Imperialis Austriaci Geologici, Societatis Regiæ Archaeologicae Hafniensis, Academiae Regiæ Goettingensis, Societatis Regiæ Scientiarum Upsaliensis, Societatis Imperialis Rossicae Acclimationis, Societatis Amicorum Naturæ Moscoviensis, Academiae Regiæ Scientiarum Monacensis e Classi Physico-Mathematica, Instituti Franco-Gallorum Africani, Societatis Zoologicae et Phytologicae Dresdensis, Societatis Imperialis Horticulturae Petropolitanae, Societatis Physico-Medicæ Erlangensis, Societatis Regiæ Botanicae Ratisbonensis et ejus Edinensis, Societatis Regiæ Artium et Scientiarum Mauritianae, Societatis Scrutatorum Naturæ Halensis, Societatis Physiographicae Lundensis, Societatis Silesicae pro Patriæ Cultura, Societatis Geographicae Darmstadiensis, Academiae Physiocraticæ Stenensis, Societatis Scientiarum Naturalium Cherburgensis, Unionis scrutatorum naturæ Bremensis, Societatis Geographicae Berolinensis, Societatis Scientiarum Leodiensis, Musei Historiæ Naturalis Madritensis, Societatis Senkenbergianae Moeno-Francfurtanae, Societatis regiae botanicae Londinensis, Societatis Belgicae Micrographicae, Academiae scientiarum Novo-Aurellianae, Societatis Anthropologicae Berolinensis, Instituti Conimbrici Unionis Regiæ Indo-Batavae pro cognitione naturæ, Societatis Historiæ Naturalis Mexicanae aliarumque unionum scientias eorum sodalis vel ordinarius vel per litteras conjunctus.

“OMNIA AUTEM PROBATE ET QUOD BONUM EST TENETE.”

Epistol. Pauli ad Thessalon. I., Cap. V., 21.

VOL. VIII. (nos. 58-71)

Melbourne:

AUCTORITATE GUBERNI COLONIÆ VICTORIÆ. EX OFFICINA JOANNIS FERRES.

1872-1874.

4 unnumbered plates.

maturantes, omnes circiter lineam longæ. Pappus flavescens, circiter sesquilineam longus.

Ab H. spicato jam facile separandum capitulis minime confertis, latoribus et plurifloris. Species nunc geret nomen F. A. Charsley, quæ multas plantas pulchritudine eximias circum urbem Melbourne se ipsa selectas eleganter delineavit et pinxit, tunc sua manu lapidi incidit et in opere "Wild Flowers around Melbourne" edidit.

Myriocephalus Guerinæ.

Erectus, elatior, pilis brevibus crispulis conspersus, foliis caulinis late linearibus planis, *glomerulo amplo planiusculo, involucris generalis squamis lamina magna obtusa lutea radiantibus*, capitulis intra involucrium valde numerosis 4-5-floris, involucellorum squamis latis obtusis hyalinis glabris, flore centrali fertili, floribus ceteris sæpe sterilibus, illius achæna puberula *setis pappi plumosis* flavescens viginti v. paucioribus terminata, achænis florum ceterorum glabris pappo varie depauperato præditis.

In plagis flumen Murchisonii versus; J. Guerin.

Pars plantæ infima mihi incognita; pars superior transmissa simplex, spithamam longa. Folia caulis medium versus 1-1½-pollicaria, 1-2" lata, superiora sensim abbreviata, omnia herbacea, acutiuscula. Glomeruli 1-1½" lati. Squamæ involucrantæ valde numerosæ, stipitibus in fasciculos plures quasi ramificantes confertæ et deorsum longiuscule attenuatæ, nec omnino contiguæ, sed inter stipites aperturas luci pervias relinquentes; stipites herbaei, lanuginoso-ciliati, parte libera 1½-2" longi, cuneato-lineares; lamina squamarum extimarum circiter lineam longa et lata, interiorum ovalis vel oblongata et circiter 2" longa, omnium integerrima et glabra. Squamæ involucellorum paucae, usque ad sesquilineam longæ, tenerrimæ, splendentes, sursum flavescens. Corollæ linea paulo longiores, sensim ampliatae. Antheræ semiexsertæ. Achæna fertilis crassiuscula, ceteræ graciles abortientes. Pappus in flore fertili corollam semiaequans, paulo penicillaris; in floribus sterilibus oligochætus, interdum vix plumosus, rarius pæne absens.

Speciem eximie distinctam et omnium pulcherrimam inventrici benignæ tribui.

Myriocephalus gracilis in collectione Drummondi sub 341 obvenit.

CYCADEÆ.

Cycas Normanbyana.

Altiuscula, foliolis latiuscule linearibus planis subtus opacis hinc basim versus cum rachi parce tomentellis, *squamis masculis* præter summas inferne anguste cuneatis trans antheras deltoideis et apice *in acumen subulatum squama multoties brevius productis, rachibus femineis brevissimis inter petiolos occultis dicarpis in laminam*

semilanceolarem sensim longe lineari-subulatam crenato-serratam sexies pluriesve longiorem quam latiore subtus tomentellam terminantibus, fructibus glabris.

Prope æstuarium fluminis Burdekin's River a planitiibus montes altiores adscendens, sed Cycade media multo rarior ; Eug. Fitzalan.

Caudex ut plurimum ætate 6-10' tantum altus, ad extremum denique passim 20-pedalis, eo Cycadis mediæ tenuior ; basis hypogæa conspicue incrassata. Folia nobis missa 3-5' longa, e notis inventoris in comam prædensam conferta et minus horizontalia quam ea C. mediæ, sed præsertim apicibus deorsum spectantia et simul lateraliter vergentia, itaque aliquotenus verticalia, quare hæc Cycas apud colonos nomen "Curly Pine-Palm" gerit. Petioli distanter breviterque spinulosi. Rachis foliorum inferne magis tetragona, superne magis semiteres, indumento ferrugineo imperfecte vestita. Foliola valde numerosa, tenui-coriacea, opposita, supra dilute viridia et nitentia, prope folii medium usque ad 8" longa, apicem et basim folii versus gradate breviora, ad extremitatem suam inferam breviter angustata et hinc angulo posteriore paulo decurrentia, in apicem longe sensimque attenuata, mucronulato-acuta ; omnia perfecte integerrima, circiter 3" tantum lata, costam subtus prominulam gerentia ; ima ante spinulas sæpe jam semipedalia, nunquam perbrevia ; spinæ infra foliola sitæ vix lineam longitudine excedentes. Amentum masculum conico-ellipsoideum, circiter pedem longum ; squamæ numerosissimæ, omnes fertiles ; mediæ sesquipollicares v. paulo longiores ; inferiores et superiores magnitudine sensim decrescentes ; imæ et supremæ pollice breviores ; omnes usque ad dilatationem terminalem subtus antheris creberrimis absque ullius areæ separatione dense obtectæ ; pars terminans $\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{4}$ " lata, subtus tomentella, superficie infra medium depressa et ab hinc uti superficies unguis antheriferi glabra, supra medium incrassata et tomentella, in spinam adscendentem 2-3" longam sensim terminans. Antheræ rigidulæ, fere cartilagineæ, circiter $\frac{2}{3}$ " longæ, fulvæ ; loculi oblique ovati, truncati, mox unilateraliter amplissime hiantes. Pollinis granula ochroleuca, ellipsoideo-ovata, lævia, longitudinaliter dehiscentia. Amentum feminum statu integro nondum vidi ; sed mihi adsunt aliquot squamæ seorsæ fructiferae stipitem conspicuum (nisi fallor) non producentes, sed prope basim utrinque germen seu fructum unicum gerentes ; rachis igitur pollice brevior, in laminam basi fere cuneatam tunc sursum sensim et prælonge angustatam supra glabram subtus tomentellam maxima latitudine vix ultra semipollicarem longitudine 3-4-uncialem terminans ; dentes laminæ superiores peracuti, inferiores obtusi, nulli prælongi. Germina jam glabra, e vertice leniter emarginato stigmatoso-rostellulata. Fructus drupiformes, ovato-globosi vel sphæroidei, circiter sesquipollicares, iis Cycadis mediæ e notis collectoris lætius aurantiaci. Integumentum exterius strato 1-1 $\frac{1}{2}$ " crasso succulente carnosum, intus fulvum ; integumentum medium puta-

minosum, osseo- v. corneo-crustaceum, vix semilineam crassum, extus fulvum et læve; integumentum interius fere membraneum, paulo lamellare et spongiosum, variegato-fuscescens. Nucleus uncialis, fere globosus, extus paulisper fulvescens, ad hilum profunde foveolatus. Albumen solide carnosum, pallidum. Embryones sub foveola plures; duo in exemplari examinato ad medium albuminis progressi et seorsim filo contortuplicato suspensi.

Speciem hancce raram dicavi Marchioni maxime honorabili Georgio Augusto Constantino a Normanby, Comiti de Mulgrave, Consilii intimi serenissimæ Britanorum Reginae membro, territorii qui superbam hanc stirpem alit nunc præexcellenti Gubernatori, Ordinis Sanctorum Michælis et Georgii præfecto-equiti.

Perspicax inventor monet, hanc et sequentem speciem mensibus Majo et Junio foliis orbatas esse, quod fortasse ope ignis plagarum accidit.

Cycas media (R. Br. Pr. 348; Miq. Monograph. Cycad. p. 26, tab. i. figs. A-P et tab. iii.; F. M. Essay on Plants of the Burdekin's River, p. 18; A. de Cand. Prodr. xvi. 527) caudice præalto nempe ut in Cycade Thouarsii passim 70' attinente, rachibus fructiferis proceris prælonge stipitatis mox decurvis in laminam utrinque tomentosam 3-6" longam circiter pollicem latam terminantibus, denique germinibus fructibusve in rachi pluribus a nostra nova, quacum commixte crescit, facillime separatur. Hæc species in locis altioribus montanis portui Denisonii vicinis copiosius quam in planitiebus occurrit. *C. gracilis* (Miq. in Mededeelingen der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Amsterdam, vol. xv. 1863) aut ad *C. mediam* aut ad *C. angulatam* pertinet; sed jam propter raches 7-8" longas, supra in ipsa lamina tomentosas, germina usque octo gerentes nullo modo in Cycadem Normanbyanam quadrat. Semina autem 1 $\frac{3}{4}$ " metientia fere ovata Cycadem mediam nec *C. angulatam* (quantum me intellectam) indicant.

Cycas circinalis fide exemplarium Ceylonicorum jam a Cycade media distingui potest foliolis conspicue latioribus atque longioribus, squamis amenti masculi insigniter latioribus apicem versus quasi alatis subito in acumen laminam fere semiaequans v. eidem æquilongum productis, antheris fere acumine tenuis extendentibus nullam aream amplam terminalem deltoideam relinquentibus, lamina rachim feminam terminante nunquam ultra triplicem ipsius latitudinis extendente. Vidi quoque bonas icones in Blumei Rumphia, tab. 176, B et C. Pretium horum discriminum confirmant icones operis Rheedei (Hort. Malabar. iii. tab. 17-19), quod de amento femino valet. Figura autem A tabulæ primæ in Miquelii monographia a deliniationibus Baueri mutuata appendicem rachis feminæ in Cycade media breviorē exhibet, quam eam in nostris exemplaribus occurrentem; extensio ergo procul dubio variabilis; nam *C. media* hanc laminam sæpe illius formæ dat, qualem figura E secunda tabulæ ii. Miquelii de vera Cycade circinali

patefecit. In icone Richardi (Mémoires sur les Conifères et les Cycadées, tab. 26) laminam rachis feminæ vidimus ei *C. mediæ* fere conformem nisi minus acute dentatam. *C. circinalis* secundum indagines Roxburghii (Flora Indica, iii. 747, ubi sub nomine *C. sphæricæ* definita) a *C. Rumphii* differt caudice crassiore, foliolis magis numerosis, longitudine petiolorum, squamis masculis sensim haud fere subito acuminatis nec vertice præter acumen sæpe truncatis, fructibus potius globosis quam ovalibus.

Cycas Rumphii secundum specimina Ceylonica amici venerabilis Thwaites a *Cycade media* præsertim distincta videtur *foliolis* fere duplo latioribus et conspicue longioribus utrinque concoloribus *subtus nitentibus*, squamis antheriferis majoribus præcipue latioribus sed ut in *C. media* acumine tantum parvo terminatis, rachibus seminigeris in laminam angustiore fere edentulam productis. Sed gradus variationis omnium harum specierum amplius ulteriusque investigandi sunt. Tabula enim xxii. operis Rumphii (Herbar. Amboinens. vol. i.), quæ hujus speciei auctoritas principalis, laminam in apice rachis fructiferæ ovato-rhombeam breviusculam illustrat. Folia quarundam *Cycadum* utrinque nitore prædita possideo ab insula Mauritii, ubi planta fortasse culta; porro a Burmah inter plantas Brandisii e Museo Kewensi distributas, atque ab archipelago Fijensi e manu Seemanni; sed hæc folia nullis florum fructuumque partibus comitata sunt, quo modo de specifica positione harum stirpium minime judicandum.

Cycas Siamensis (Miq. in Bot. Zeitung, 1863, pag. 334) ob germina in rachi tantum duo forsitan *Cycadi Normanbyanæ* proxime stat, si hic de germinum numero character perpetuus; sed amicus defunctus laminam rhombeo-ovatam pectinato pinnatifidam descripsit. Flores masculi hactenus phytographis ignoti. Omnes *Cycades* Australiæ hucusque bene definitæ igitur ad seriem *Cycadis circinalis* pertinent, neque ad seriem *Cycadis revolutæ*, quum hæc et *C. inermis* foliola inferiora sensim valde abbreviata, laminam racheos fructigeræ pinnatisectam et fructus velutinos habeant.

Cycas angulata (R. Br. Pr. 348; Miq. Monograph. p. 26, t. ii. figs. A-E; A. de Cand. Prodr. xvi. 527) forsitan varietatibus *Cycadis mediæ* adnumeranda est. Accepi enim e proximitate montis Elliotti stirpem *C. mediæ* simillimam, cujus vero rachis femina fert appendicem rotundato-vel cordato-ovatam breviuscule arguteque serratam circiter sesquipollicarem et subito in acumen longum spiniforme terminantem, tali modo definitioni *C. angulatæ* in prodromo Brownii bene respondentem atque deliniationi Bauerianæ sufficienter convenientem. Semina iis *Cycadis mediæ* minora et globosa reperi. Antheræ autem adhuc incognitæ. *Cycadum* folia e variis locis Australiæ borealis obtinui, sed materiis hisce hactenus exstantibus facultas pro specierum definitio deerat. Veram autem *Cycadem* mediam ad rivum Crocodile-Creek fere extra circulum capricornu reperiit amicus Thozet. Folia cujusdam

Cycadis e Castlereagh-Bay a cl. Benjamino Gulliver allata et fructibus magnis glabris v. glabratis comitata iis C. inermis et C. revolutæ similia sunt, quam iis C. circinalis tam reductione foliolorum infimorum quam angustia et recurvatione marginum. De antherarum hujus speciei natura inquirendum.

Encephalartos Denisonii (Lepidozamia Peroffskyana, Regel in Bulletin de la Société des Natural. de Moscou 1857, fig. 20 et 21; Regel Garten-Flora anno 1870, p. 227-229, tab. 660; Catakidozamia Macleayi, Hill in Gard. Chronicle 1865, p. 1107) ad Cape Byron, Duck Creek et Broken Head prope ostium fluminis Richmond's River sec. cl. Henderson altitudinem 16 pedum attinet; sed cl. Moore hanc superbam plantam altitudine 30' vidisse dixit. Cl. Hill speciem similem (conf. Gardeners Chron. l. c.) indicavit sub nomine Catakidozamiæ Hopei, quam separat ob altitudinem usque 60', folia majora, segmenta horum latiora saturatius virentia, rachim semiteretem non quadrangulam et fructus triplo minores; hujus Encephalarti nullas partes hucusque accepi. Folia E. Denisonii rachim jam initio rectissimam habent. Nomen Macrozamiæ Perowskianæ, a cl. Benthame in volumine sexto Flor. Austral. p. 253 acceptum, in scriptis Miquelii nullibi adhibitum reperi. Macrozamiæ sectio ab Encephalarto propter longitudinem acuminum, quæ squamas amentorum terminant, ratione generis discerni nequit, quum hæc partes in E. Pauli Guiliemi et E. Denisonii jam admodum sint abbreviatæ.

Encephalartos Preissii segmenta foliorum seu foliola in stirpe juvenili parce pilosa et apice minuto-denticulata nec non petiolos dense pilosos ostendit.

Encephalartos spiralis ad flumen Clyde latitudinem 35° 30' geographicam attinet et eadem species sec. cl. Chambers amplius austrum versus in vicinia sinus Twofold-Bay crescere dicitur.


ORCHIDÆ.

Dendrobium Baileyi.

Glabrum, caule terete gracillimo folioso, *foliis lato-linearibus chartaceis, floribus lateralibus solitariis*, pedunculis nullis, bractea pedicellum semiæquante, *sepalis omnibus sursum longe setaceo-linearibus membraneis fere æquilongis*, inferioribus deorsum lanceolari-deltoideis, interioribus basin versus anguste linearibus, supremo inferne latiuscule lineari, labello sepalis paulo brevioribus glabro, lobis lateralibus semiovatis, *lobo labelli medio e basi lata fere ovato margine crispulo subito in acumen longum lineari-subulatum integerrimum producto.*

In silvis montium aliorum pone Rockingham's Bay; Bailey.

Vidi partem caulis superiorem 1-1½''' crassam. Folia graminea, 2½-4½''' longa, 2½-3½''' lata, sursum longe angustata, prope basim rotundato-contracta, nervoso-striata, sed non valde prominenter



Cycas Normanbyana.

Cycas media.



Cycas Normanbyana. F. M.